

*bis, si reus est absoluendus, sufficit ut uno suffragio superentur condemnantes, sin autem condemnandus, necessario requiritur, ut absolventes duobus uincantur uotis. In iudiciis de Mammona, seu re pecuniaria suffragantes reum absoluendi uel condemnandi gratia reuocare possunt uota sua; in iudiciis de uita autem sententia prolata, non, nisi rei iam condemnati absoluendi causa mutari potest. In rebus pecuniariis omnes testimonio suo rei innocentiam aut debitum docere possunt; in criminalibus autem quilibet innocentiam rei demonstrare, sed non omnes de delicto commisso testimonia exhibere possunt. In iudiciis pecuniariis, qui demonstrauit reum esse condemnandum, demonstrare potest eundem esse absoluendum, et contra ea qui indicauit reum esse absoluendum illi licitum est, sententiam mutare, et docere eundem esse condemnandum; Sed in iudiciis de casibus criminalibus ille, qui reum condemnandum iudicauit, absolvere potest, sed qui reum absoluendum censuit, mutata sententia, illum esse condemnandum docere nequit. Illis in iudiciis inquisitio rei de die instituitur, et de nocte fit decisio; in his uero et in rei crimen de die inquiritur, et de die ob idem crimen concluditur. Iudicia pecuniaria tam absoluendi, quam condemnandi gratia eodem die, scilicet, quo reus accusatus est, deciduntur; in his eodem die, quo iudicium inchoatum est, sententia de reo absoluendo profertur, condemnatoria uero in crastinum diem differtur. Propterea etiam neque in uespera ante diem Sabbathi, id est pridie Sabbathi, neque diei festi iudicia capitalia debent exerceri. His enim ex rationibus aliter se gerebant in rebus pecuniariis, aliter uero in criminibus capitalibus diiudicandis. Quauis scilicet occasione semper causa primaria fuit, ut cauerent, ne nimia festinatione innocentis sanguinis rei a DEO iudicarentur, et eadem, qua innocentem puniuiissent, morte mularentur. Contra ea si in IUDICIO CONDEMNATIONIS TARDI ESSENT, eo melius illa momenta reuelari, peruestigarique poterant,*